



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Theosophiam acquirendi modus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Sed mundi sapientia semper alio respicit: utpotè innumeris astricta modis, cã-
 sbus, temporibus, generibus, numeris, & significandi rationibus: & ut plurimum
 non nisi ob humanas laudes, ob honores & dignitates appetitur, quæ omnia vana
 sunt, & sui sectatores vanissimos efficiunt.

Theosophia quânam discatur.

Christiana sapientia & contemplatio, verissima est: ut quàm Dens ipse (qui
 summa veritas est, nec errare potest) edocet: disciturq; in Verbo æterno (seu
 in codice) quod nimirum est veritas per essentiam, vnde quicquid in eo dis-
 citur, incommutabile, infallibile, & inconuertibile est.

At mundi fallax sapientia, multa habet vana, commentitia & erroris plena: si-
 quidem ab hominibus mendacio obnoxijis traditur: per rationem naturalem in
 multis hallucinantem obtinetur: in codicibus (multa complectentibus ficta, am-
 bigua, falsa, ac facta) reperitur.

Itaque non solum est incommutabilis, sed etiam destruenda, quatenus menda-
 ciji nititur.

Theosophiam acquirendi modus.

Christiana sapientia, & vera contemplatio, inter scientias omnes facillima
 est. Discitur enim suspensis actibus sensuum & intellectus, quia in caligine Luc. 10.
 Diuinâ eam beatissima Maria Magdalena (ad pedes Domini Iesu sedens
 quæta, hausit auidissimè: nihil morata, quod soror Martha eam desidia incusaret
 apud Dominum, qui eam optimam delegasse partem affirmavit.

Porro mundi sapientia multis & sensuum, & phantasiæ & memoriæ ac intel-
 lectus laboribus vix acquiritur, etiam longissimo temporis interuallo. Probant
 hoc innumeri Philosophorum atque omnis generis artium professorum cãsi
 inanesq; labores, qui post detritam in eiusmodi studijs ætatem, secundùm Acade-
 micos hoc solum se scire fatentur, quod nihil sciunt. Qui si eam ponerent operam in
 perdiscendâ ac obrinendâ mysticæ Theologiæ sapientiâ, breui ad summam per-
 tingent perfectionem, & veri admirandiq; contemplatores efficerentur.

Theosophia ut in pace & silentio acquiratur.

Christiana sapientia præ cæteris scientijs summè pacifica est. Discitur enim Iacob. 1.
 cunctarum virium animæ, (quæ apprehensivæ vocantur,) silentio, & in pace
 animæ: cum Deo amat, fouet, parit ac tuetur pacem. Ed pertinet sententia il-
 la Prophetæ regij: *In pace, id est, silentio omnium virium apprehensivarum, dor-* Psal. 4.
miam per contemplationem, & requiescam per desiderij expletionem & consola-
 tionem.

Mundi verò sapientia pugna est & contentiosa: Obtinetur enim per dispu-
 tationum conflictus, & ad lites ac concertationes prouocat, fouetq; & nutrit dis-
 cordiam inter sui professores, ut probas *Apost. 11. ad Timot. 11.* Vide sectas Philoso- 2. Tim. 2.
 phorum, quàm inter se pugnent, quàm sint diuersæ ac pugnant inter illas opi-
 niones, nec inter eos duntaxat, sed etiam Christianos, (humanæ sapientiæ addi-
 ctos) dum alij hac vel illa opinione ducuntur.